



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Fasti Mariani**

**Brunner, Andreas  
Pfeffer, Wilhelm**

**Antverpiæ, 1663**

S. Daniel Proph. 21. Iulii.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41940**

452 VITÆ SANCTORUM. 21. *Iulii.*  
eus exceptit, Draconis exuviis horrendus.  
Sed hunc objecto scuto Crucis repulit,  
precumque jaculis confixit. Victoria Superi  
trophæum posuerunt Crucem mirè  
splendentem, & e cuius apice columba  
Solatia dedit & omnibus vulneribus me-  
dicinam. Triumphum hunc primum or-  
narunt XV. millia hominum in liberta-  
tem Christianam e Deorum servitute  
asserta. Non multò post iterum pugna-  
tum, & in triumphum duæ ignis &  
aqua. Nam & faces ardentes pectori ad-  
motas in sancti amoris flaminas, & a-  
quas, in quas abjecta erat, in baptis-  
mum vertit Deus. Iterum ergo triun-  
phanti columba illa divina palam coro-  
nam imposuit. Invidit Olybrius, & ca-  
put laureatum gladio abstulit. Sed im-  
prudens alteram coronam adjecit. Ex *Su-*  
*rio C. Lippeloo.*

*Diabolica temptationis tibi proponuntur*  
*exempla, ut C. ipse contra hostis callidi*  
*deceptoris insidias sôlerter evigiles, C. dum*  
*te delectat aliorum audire victorias, ipse te*  
*per languidi corporis ignoriam non remit-*  
*tas. S. Pet. Dam. l. 6. Ep. 21.*

S. DANIEL PROPH. 21. *Iulii.*

A Gite Mariani, si virtutis ardua, si tef-  
qua piget calcare, ecce ille magnorum  
regum vates, ille leonum & adeo Deo-  
rum domitor per pomaria illuc vos du-  
cet.

21. Iulii. VITÆ SANCTORUM. 453  
cet. vos modò ne oculos otiosos afferte,  
sed obambulando ipsum pudicitiae flo-  
rem Susannam spectate. Annè videtis,  
uti nec formæ decor, nec locus solus,  
nec blanditiæ minævè hunc possint de-  
cerpere ? nempe sola non fuit, quæ se-  
cum in oculis ubique Numen circumtu-  
lit. Certè hoc suis in oculis Susannæ tu-  
lit. Etenim, agite modò capita scelestæ,  
eja populum in vestram perniciem cogi-  
te, accusate innocentiam damnandi à  
puero senes. Et, quid tu ais ? scelus, ubi  
facinus patratum ? sub schino, euge ! &  
tu Orci silicernum, ubi ? sub prino-  
papæ ! neque mentiri scitè didicistis. Io !  
Innocentia triumpha, nunquam patro-  
no cares. At vos capulares Veneris co-  
lumbos jam lapidantium manus palpa-  
bunt. quid saxa, quid moras trahitis ?  
obruite ea improbas Cupidini victimas.  
Epitaphium ego dabo. Sub saxis amor-  
bis jacet sepultus. Ex Dan. ipso.

Differunt quidem inter se homo pudicus  
& Angelus, sed felicitate, non virtute:  
illius castitas felicior, hujus tamen fortior  
esse cognoscitur ; sola est castitas, que in  
hoc mortalitatis loco & tempore statum  
quendam immortalis gloriae representat.  
S. Bern. ep. 43.

Ff 3 S. DA-